



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

XXXII. Post reditum à Confluentibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

TITVLVS XXXII.

Post reditum à Confluentibus.

HÆC QUÆ SEQVVTVR DOMNVS KAROLVS  
*reversus à Conflente cum consilio fidelium suorum per regnum suum  
denuntianda & observanda direxit.*

HÆc Missi nostri discurrentes faci-  
ant.

C A P. I.

Omnibus in suo missatico firmitatem  
quæ inter nos & carissimum fratrem no-  
strum atque dilectos nepotes nostros facta  
est notam faciant.

I I.

Capitula etiam quæ apud Confluentes  
accepta sunt à nobis & communibus fide-  
libus nostris adnuntient.

I I I.

Sed & illa capitula quæ antè per reg-  
num nostrum observanda missimus, cum  
capitulis episcopalibus & progenitorum  
nostrorum Imperatorum ad cognitent, &  
cognitamentum quod modò apud Con-  
fluentes fecimus omnibus innotescant,  
& firmitatem ab omnibus qui ita contra  
nos misfecerunt sicut notum est, & de qui-  
bus carissimus frater noster petiit, qui alo-  
des in regno nostro habere volunt, sicut  
in cognitamento nostro scriptum est, fir-  
mamentum recipiant. Ita tamen ut si ma-  
jores homines voluerint, ad nos veniant,  
& in præsentia nostra ipsam firmitatem faci-  
ant; homines verò illorum ante Missos  
nostros eandem firmitatem faciant.

I V.

Vt Missi nostri eis qui firmitatem fece-  
runt, alodes illorum quos de hereditate &  
de tali conquiritu qui de nostra donatione  
non venit habuerunt, & quos senior noster  
Domnus Imperator eis dedit, si præcepta  
illius ostenderint, quantum in ipsis præ-  
ceptis inde continetur illis reddant.

V.

Vt omnes qui firmitatem fecerint, & qui-  
bus alodes reddiderint, diligenter inbre-  
vient. Et si aliqui eam facere noluerint,  
similiter inbrevient, & nobis renuntient.

V I.

De rapinis autem & violentiis & ceteris  
Tom. II.

injustitiis quas in istis præteritis annis, post-  
quam ista perturbatio exorta est, in regno  
nostro fecerunt, quantum rationabiliter  
potuerint, Missi nostri pacificare procu-  
rent. Et si de ipsa pacificatione vadij ad  
nostram partem venerint, ex toto, sicut  
frater noster carissimus nos petiit, ex no-  
stra auctoritate perdonent, in hoc ut talia  
de cetero non faciant.

V I I.

De pacificatione verò illorum qui in  
regno nostro consistentes, postquam Deus  
suam nobis ostendit gratiorem misericor-  
diam, per illorum indebitam præsumptio-  
nem rapinas & violentias atque alias in-  
justitias fecerunt, si vadij ad nostram par-  
tem exierint, Missi nostri inbrevient, &  
nobis renuntient, ut nos inde commende-  
mus quid nobis tunc visum fuerit.

V I I I.

Et ut pax in regno nostro per illorum  
missaticum, sicut nos ad cognitavimus, &  
capitula à nobis directa commendant,  
omnibus modis observetur, diligenter  
provideant, & qualiter eam quisque ob-  
servaverit, absque respectu alicujus perso-  
næ, ut veritatem inde nobis renuntient,  
diligenter inspiciant. Et quicquid exinde  
quod commendamus per se adimplere non  
potuerint, ad Missos majores per ipsum  
missaticum constitutos referant, ut cum  
illorum consilio & auxilio omnia impleant.

Firmitas autem quam à prædictis homi-  
nibus Missi nostri debent recipere, ista est:  
De ista die in ante Karoli, Hludouici  
Imperatoris filij, regnum illi non forcon-  
siliabo, neque vuerribo. Si me Deus ad-  
juvet & istæ sanctæ reliquiæ.

*Confirmatio seniorum nostrorum Regum modò  
apud Confluentes facta ista est.*

Quod ad Dei voluntatem, & sanctæ  
ejus Ecclesiæ statum & honorem atque  
defensionem, & ad illorum communem

K

salutem & honorem, & ad populi Christiani illis commissi salvamentum & pacem, & ad leges ac iustitiæ atque rectæ rationis conservationem, quantum illis Deus scire & posse donaverit, vero consili, & secundum quod illis rationabiliter & salubriter possibile fuerit, sincero auxilio adjuutores sibi invicem ad regnum illorum continendum erunt, & nec in vita, nec in membris, neque in regno, aliquis eorum suum parem forconsiliabit.

*Adnuntiatio autem illorum ista est.*

## CAP. I.

Quia secundum quod in prædicta firmitate continetur, deinceps observare volunt, & Domino adjuvante observabunt.

## I I.

Et non volunt ut aliquis inter eos alia aliqua verba portet nisi quæ Deo sint placita, & ad communem salutem & honorem sint pertinentia. Et si aliquis aliter præsumperit, in medium adducatur, & taliter inde castigetur ut nemo alius similia agere tentet.

## I I I.

Et volunt ut Ecclesiæ & casæ Dei & Episcopi & Dei homines, Clerici, monachi, & nonnæ, talem mundeburdem & honorem habeant sicut tempore antecessorum suorum habuerunt.

## I V.

Et volunt ut fideles illorum talem legem & iustitiam & tale salvamentum in regnis illorum habeant sicut antecessores eorum tempore antecessorum illorum habuerunt, & ipsi Reges talem honorem & rectam potestatem habeant sicut ipsorum antecessores habuerunt, & iustitia & lex omnibus conservetur. Et si aliquis hoc perturbare voluerit, a nullo eorum recipiatur, nisi ut aut ad rectam rationem aut ad rationabilem indulgentiæ concessionem deducatur.

## V.

Et ut illi homines qui in isto regno contra seniorem nostrum Dominum Karolum mispserunt, si se recognoverint, propter Deum, & propter fratris sui deprecationem, quicquid contra eum misfecerunt eis vult indulgere. Et sicut præscriptum est, alodes illorum de hereditate & de conquestu, quod tamen de donatione sua

non venit, sed & illos alodes quos de donatione Domni Imperatoris Hludovici habuerunt, eis concedit, si talem firmitatem ei fecerint sicut prædiximus.

## V I.

Sed & de rapinis & depradationibus & de conjugationibus & de conspirationibus, & de raptis feminarum tam viduarum quam & puellarum atque nonnarum, firmiter banniverunt ut amodo & deinceps nullus præsumat: & qui præsumperit, secundum leges divinas & humanas & secundum Capitula Imperatorum ac prædecessorum suorum hoc emendare cogatur. Et ut unusquisque infra patriam cum pace & sine oppressione pauperum & circummanentium consistat, & in hostem vel ad placitum sive ad curtem veniens, de suo sic vuaritum de domo sua moveat ut cum pace venire, stare, & ad domum suam redire possit.

*Summa Capitulorum quæ apud Confluentes modo acceptata sunt à senioribus nostris Regibus & illorum fidelibus hæc est.*

## CAP. I.

De illorum concordia & fraterna conjunctione atque mutuo adiutorio, sicut in cognitamento illorum continetur.

## I I.

Et de illorum indulgentia qui in isto regno mispserunt, si se recognoverint, & deinceps à talibus se cavere voluerint, & in regno pacifici esse voluerint, sicut in cognitamento illorum continetur.

## I I I.

De lege & iustitia omnibus unicuique in suo statu & ordine conservanda.

## I V.

Vt à rapinis ac depradationibus atque à conjugationibus & conspirationibus & seditionibus & à raptis feminarum se omnes caveant: & qui deinceps talia præsumperit, sicut in cognitamento illorum continetur, secundum leges ecclesiasticas & mundanas & secundum Capitula prædecessorum Regum hoc emendare cogatur, & in compositione, & in harniscara, & in penitentia ab Episcopo parrochiæ ejus suscipienda.



*Capitula autem Imperatorum Domni Karoli & Domni Hludouici de rebus  
rebus, ut de multis pauca hic ponamus, ista sunt.*

VI. 97.  
98). **S**I quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos, nobis persolvat. Postmodum vero à Comite ante nos adducatur, & in bastonico retrusus usque dum nobis placuerit pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sanctorum canonum sanctionem. Si vero occultè, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam, quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde judicatur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid abstulerit aut raperit. Extorres namque à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ atque firmiter denotandæ.

V. 347.  
VI. 382. *Et item.* Si quis in exercitu infra regnum sine jussione dominica per vim hostilem aliquid prædari voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, sive pecora majora vel minora, domoſque infran-

gere vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod si aliquo præsumptiosè factum fuerit, sexaginta solidos, si liber est, sit culpabilis, & omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si verò servus hoc fecerit, capitali crimini subiaceat, & dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit nec custodivit ut talia non perpèraret. quoniam si nos ipsos comedimus, citò deficiemus. Vnusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua prædatio infra regnum fiat.

*Et item.* Si quis domum alienam cuiuslibet infringerit, quicquid exinde per vim abstulerit aut raperit vel furaverit, secundum legem eam illi cuius domus fuerit infracta & spoliata in tripulum componat, & insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, & insuper secundum legem suam compositionem faciat. Si quislibet homo aliquid tale damnum alicui fecerit pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in vvadio pro servo dare studeat usque dum plenam compositionem adhibeat.

*De capitulis autem à nobis per regnum nostrum directis ista excerpta sunt.*

Tit. XIII.  
c. 11. **V**T unusquisque Missus in suo missatico provisionem habeat ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens vel commans rapinas vel prædationes aut talia illicita fecerit de quibus Deus offendi solet & populus pro oppressione genere, quatenus hoc subtiliter & veraciter investiget, & secundum legem emendari faciat, nobisque renuntiet; qualiter inde nos sic ordinemus ut nec ipsum nec alium hoc agere delectet.

Ibid. c. 13. *Et item.* Ut Missi in illorum missaticis curam habeant ne homines nostri aut alij quilibet vicinos suos majores vel minores tempore æstatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hiemis, quando marasfalcos illorum ad fodrum dirigunt, vicinos majores vel minores prædentur. Et si egerint, hoc etiam, ut prædiximus, veraciter Missi nostri investigent, & legaliter emendatum nobis renuntiet; ut in seniore hoc sic emendemus quatenus homines suos in potestate habeat, & contenti sint debitis, & indubitata injustè non appetant.

*Duo capitula sequentia pertinent ad titulum presentem, & non sunt repetita ex superioribus.*

**V**olumus etiam ut de beneficiis destructis & silvis venditis, tam ex re-

publica, quam ex rebus ecclesiasticis, Missi nostri omnes admonent ut de cetero qui illa habent exinde se caveant, & hoc quod malè actum est, quantum potuerint, emendare procurent, ne vindictam secundum Capitularia prædecessorum nostrorum sustinere cogantur.

Capitula autem legum divinarum atque mundanarum & Imperatorum de raptis feminarum, & de conspirationibus, & de conjurationibus, & de Ecclesiarum infracturis, atque Clericorum dehonorationibus, & de Comitibus qui in comitatibus suis injusta faciunt, hic non adnotavimus, quia cognita sunt, & majori distinctione indigent. de quibus omnes admonere atque omnes ex Dei banno & nostro cavere præcipimus. De his interim Missi nostri discurrerent cum consilio majorum Missorum, ut præmisimus, studeant donec plenitudinem capitulorum & adnuntiandam & observandam ad communem omnium nostrum salutem & pacem per regnum nostrum adjuvante Domino disponamus.

